

DISPUTATIO XXVI.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Duos possumus in genere distinguere baptismi effectus, scilicet characterem et gratiam sanctificantem, sub qua comprehendimus omnia dona, quæ ad hanc gratiam spectant, de quibus tantum in hac disputatione dicendum est. Nam de characterem nihil addendum occurrit his, quæ in superioribus circa q. 63 D. Thom. dicta sunt.

SECTIO I.

Utrum baptismus vere ac proprie remittat omnem culpam.

1. *Varii errores.* — *Primus.* — *Varii fuerunt* de hac re hæreticorum errores, ac pene extreme contrarii. Primo quidam dixerunt, baptismum esse inutilem, et nullius efficaciam ad delenda peccata. Hujus erroris primus auctor fuisse creditur Gaianus, ut colligitur ex Tertull., lib. de Baptismo, in principio. Hunc imitati sunt Manichæi, ex Augustin., hæres. 46; et Arcontici, ex Epiphano, hæres. 40; et Messaliani seu Massaliani; hos enim, ut diversos numerat Damasc.; sunt tamen iidem apud Theodoret., lib. 4 Hæret. fabul., circa fin., et lib. 4 Hist., c. 40, et habetur etiam lib. 7 Tripar., c. 44. Hujus erroris nullum invenio fundamentum.

2. *Secundus error.* — *Secundus error est,* baptismum quidem non esse omnino inutilem, nec tamen proprie ac vere tollere peccata, sed ea tantum tegere, et facere ut non impitentur. Hujus erroris invenitur mentio apud Augustin. variis locis contra Pelagianos, specialiter lib. 4 contra duas epist. Pelag., c. 43, ubi tamen non refert aliquem hæreticum hoc docuisse, sed potius Pelagianos ipsi Augustino imputasse, eumque reprehendisse, quod ipsum docere existimarent, baptismum non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Ab eo tamen errore se omnino alienum ostendit August., tum ibi, tum etiam lib. 3, c. 3. Theodoretus autem loco supra citato in hunc fere modum explicat Messalianorum errorem. Refert enim eos dixisse, baptismum instar novaculæ auferre peccata, radicem vero peccati non extinguere. Epiphanius etiam hæres.

64, ex Methodio refert, Proclum quemdam Origenistam dixisse, contrahi quidem nunc et sopiri peccatum, non tamen radicitus tolli, et ejusdem erroris meminit Greg., lib. 9 Registr., epist. 39, dicens: *Si qui sunt, qui dicunt, peccata in baptismo superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius?* Hunc nihilominus errorem renoverunt hoc tempore Lutherani, qui interdum eisdem loquendi formulis utuntur, dicentes, baptismum non tollere originale peccatum, sed radere, aut tegere, aut facere ut non imputetur; interdum vero negant delere baptismum omnia peccata, quamvis fortasse tollat aliqua. Fundamentum horum hæreticorum est, quia baptismus non tollit concupiscentiam, quæ tamen peccatum est, de quo dicitur ad Roman. 7: *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato;* et infra: *Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio; nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ac tandem ulterius: *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.*

3. *Tertius error.* — *Tertius error extreme* contrarius est, baptismum delere omnia peccata non tantum jam commissa, sed etiam quæ post baptismum susceptum committuntur. Hunc errorem ex Lutero, Calvino et Kemnitio, refert Bellarm., lib. 4 de Baptismo, cap. 48. Qui tamen hæretici non videntur loqui de vera peccatorum remissione, sed de occultatione, seu non imputatione peccatorum. Fundamentum autem eorum præcipuum est, quia peccata remittuntur per solam fidem, et baptismus solum deservit ad excitandam fidem, quæ non minus excitari potest per memoriam baptismi suscepti; et addunt quædam loca Scripturæ, in quibus salvari et mundari dicimur per baptismum, 4 Petri 3: *Salvos nos facit baptisma;* ad Tit. 3: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* ad Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ.* Quem locum tractans Augustin., lib. 4 de Nupt., cap. 33, multum videtur huic errori favere.

4. *Prima conclusio.* — *Ratio conclusionis.* — Dico primo: baptismus vere ac proprie delet originalem culpam, et quidquid in ea veram rationem peccati habet, nam ad hoc est per se institutus. Conclusio est de fide, definita in Concil. Trident., sess. 5, can. 5, his verbis: *Si quis per Jesu Christi Domini gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam*

non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. Et statim eam veritatem confirmat variis Scripturæ testimoniis, ut est illud ad Rom. 6: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, etc.;* et illud cap. 8: *Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu.* Et hoc etiam convincunt illa loca ad Tit. 3, et similia: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Nam, cum originale peccatum sit vera mors animæ, et hominem inimicum Dei constituat, non potest baptismus hominem salvare, nisi vere ac proprie tollat peccatum originale, et hominem vere Dei amicum efficiat, et ad vitam spiritualem transferat, propter quod baptismus regenerationis appellatur, Joan. 3, ad Tit. 3, primæ Petri 1; dicitur etiam spiritualis circumcisio et resurrectio ad Coloss. 2: *In quo et circumcisi estis, circumcisio non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisio Christi; consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.* Unde August., in Enchirid., c. 52: *Quemadmodum in Christo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita et in nobis vera justificatio.* Et eandem veritatem latius statim confirmabimus simul cum sequenti conclusione. Ratio vera est, quia supponimus, ex dictis de necessitate baptismi, eum esse institutum, ut sit verum sacramentum ad regenerandos homines in Christo; non est autem minus efficax spiritualis regeneratio Christi, quam generatio carnalis ex Adamo. Si ergo hæc potens est ad transfundendum originale peccatum in filios Adæ, multo erit potentior illa ad tollendum hoc peccatum et infundendam Christi justitiam. Rursus non potest peccatum illud, secundum id, quod in eo habet rationem culpæ et maculæ, partim tolli, partim relinqui; neque etiam ita potest radi, quin eradicetur, quia illud peccatum, quoad culpam, unum est indivisibile in singulis hominibus; unde, vel totum tollitur, vel totum manet. Item, quidquid est culpæ in eo peccato non tollitur, nisi per infusionem divinæ gratiæ et charitatis. Gratia autem Dei et charitas, quantumvis minima, constituit hominem simpliciter Deo gratum et amicum; atque ita excludit quidquid habet rationem culpæ, quæ huic amicitiae contraria sit, qualis est culpa originalis. Denique, quod hæc peccati remissio

non sit sola occultatio seu non imputatio peccati, latius probandum est in materia de gratia et de justificatione; ubi ostenditur, veram sanetitatem et justitiam vivis Christi membris infundi, per quam vere ac proprie a peccatis mundantur, quod ad rem præsentem satis convincunt illa verba ad Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ.* Nam si in anima maneret peccati macula tecta, non vere mundaretur anima, sed fieret tanquam sepulchrum dealbatum; Paulus autem dicit, vere mundari, et renovari per Spiritum Sanctum, qui in baptismo nobis infunditur abunde, ut ad Titum 3, idem Apostolus tradit.

5. *Conclusio secunda.* — Dico secundo: baptismus cum originali culpa simul delet omnem actualem antea commissam, si nullum sit ex parte suscipientis impedimentum. Conclusio est de fide definita in Concil. Florent. in Decreto Eugenii: *Hujus, inquit, sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis.* Ex quibus verbis colligo, non solum per accidens, sed per se conferre baptismum hunc effectum ex vi suæ institutionis. Nam inter effectus sacramentorum non numerantur nisi illi, ad quos sunt sacramenta ex institutione sua ordinata, et quia Concilium æque ponit originale et actuale. Itaque licet fortasse primum motivum (ut sic dicam) instituendi hoc sacramentum, fuerit originale peccatum, tamen adæquatus effectus in hoc genere remissionis culpæ, ad quem per se est ordinatum hoc sacramentum, omnia peccata complectitur; sicut de passione Christi dici solet, primario quidem ordinatam esse a Deo occasione originalis peccati, deinde tamen esse propter omnia peccata tollenda. Quod vero hoc intelligendum sit de actualibus peccatis jam commissis, quando baptismus suscipitur, Concilium non aperte explicuit, vel quia Lutherorum error nondum exortus erat, vel quia res nulla expositione indigebat. Non enim remittitur peccatum, nisi quod, vel contractum est, vel commissum. Non tamen hoc omnino prætermisit Concilium, subdens inferius, baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis præteritis. Clarius autem hoc declaravit Concilium Trident., sess. 7, can. 9, ut statim videbimus. Potest etiam hæc assertio colligi ex eodem Concilio Tridentino, sess. 6, per totam, ubi docet in justificatione impii deleri omnia peccata; et hanc justificationem dicit conferri per baptismum; et ideo, sess. 44, cap. 4, ait, *si homines justitiam in baptismo acceptam constanter tuerentur, non fore*

necessarium aliud sacramentum ad remittenda peccata, præter baptismum; supponens, illum sufficere ad tollenda omnia peccata, quæ ante acceptam baptismalem justitiam committuntur, prout statim aperte docet cap. 2. In quo fundamentum jam tactum hujus veritatis declarat, quia per baptismum efficitur nova prorsus creatura in Christo, cui commorimur et conresuscitatur. Ad quod facile applicari possunt omnia testimonia Scripturæ in præcedenti conclusione adducta. Quibus addi possunt expressa verba Petri Act. 2: *Pœnitentini et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum*, actualium videlicet; nam horum tantum pœnitentia est necessaria, et ea sunt proprie peccata adulatorum, ad quos Petrus sermonem habebat. Atque de hoc effectu baptismi exponuntur illa verba Mich. 7: *Proiciam in profundum maris omnia peccata vestra*; nam per mare, baptismus significatus est, ut 1 ad Corinth. 10 dicitur, ut late tractat August., concion. 4 in Psalm. 113, dicens, *sicut Ægyptios in mari Rubro, ita delicta nostra in baptismo esse demersa et extincta*. Quod etiam notarunt super Michæam, Theodoret., et Rupert., et Basil., homil. 4 in Psalm. 28, circa illa verba: *Dominus diludivum inhabitare facit*, et Hieron., ep. 83 ad Ocean., ubi copiose de laude baptismi tractat.

6. Ratio conclusionis ex D. Thom. — Præterea hanc fuisse antiquissimam Ecclesiæ fidem, constat ex Patrum traditione. Nam in primis in Concil. Carthag. 4, cap. 4, inter dogmata fidei, quæ debet Episcopus profiteri cum consecratur, unum est, de quo agimus: *Quærendum, inquit, ab eo, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntarie admissa sunt, dimittantur*. Unde Chrysost., homil. ad Baptizand., ante med., tom. 5: *Divina gratia lavacrum, inquit, non corporis maculas, sed animæ sordes mundare consuevit; etsi mollis, etsi fornicator, etsi totius malitiæ nodis astrictus, cum ad natatoria venerit, solis radiis mundior elevatur*. Idem docet Basil., homil. 13, quæ est exhortatio ad baptismum, et homil. in Psal. 59, circa illa verba: *Mocab lebes spei meæ*. Theodor., tractans illa verba Psal. 50: *Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: Sola (inquit) aqua baptismi, hanc potest facere purgationem delictorum*. Ubi ad eandem rem confirmandam plura similia testimonia applicat in sensu allegorico. Eleganter Ambros., 4 de Sacram., cap. 4: *Qui*

per hunc fontem transiit a peccato ad vitam; et lib. 2, cap. 4, applicat figuram de Helisæo, qui ligno in aquis misso ferrum fecit ascendere, 4 Reg. 6, et aliam de aquis amaris quæ dulces effectæ sunt Exod. 15: *Nam merito, inquit, aqua dulcis est, in qua culpa devoratur*; et lib. 4 in Luc.: *Nemo, inquit, ad certamen virtutis admittitur, nisi prius ablutus ab omnibus maculis delictorum, gratiæ cœlestis munere consecratur*. Unde Lactant., lib. 3, c. 26: *Uno, inquit, lavacro malitia omnis abolebitur*. Prosper, lib. 4 de Vocat. gent., c. 5: *Evacuetur fides, quæ credit per baptismum omnia peccata dimitti, si gratia non malis et impiis, sed bonis et rectis probaretur impendi*. In eadem sententia est perpetuo August., ut videre licet, quæst. 33 in Num., ubi ad hoc accommodat figuram de aqua aspersionis, Num. 19; idem tract. 44 et seq. in Joan., et in Enchirid., cap. 64, et orat. contra Judæos, Paganos et Arianos, cap. 49, et alia tam ex eodem, quam ex aliis citavimus supra in commentariis articulo, disputantes de institutione et de materia baptismi, et infra afferemus alia, agentes de illius necessitate. Rationem hujus veritatis attulit sufficientem D. Thom. in art. 4, ubi eam declaratam reliquimus. Aliam vero hic addere possumus. Quia peccata actualia commissa ante baptismum non possunt tolli per sacramentum pœnitentiæ, quia non sunt materia ejus, ut infra videbimus. Ergo necesse est tolli per baptismum per se et directe, quia non est aliud sacramentum per se institutum ad remissionem peccatorum. Omnia autem peccata per se remittuntur per aliquod sacramentum. Voluit enim Christus omnia peccata per Ecclesiam dimitti, mediis sacramentis. Quæ ratio optime probat de peccatis mortalibus. Nam venialia et necesse non est per sacramenta tolli, et fortasse per alia etiam sacramenta remitti possunt. Sed in hoc non est cur multum hæreamus. Nullus enim, qui sentiat per baptismum tolli peccata mortalia, id negabit de venialibus, quorum remissio multo facilior est. Unde probabile est, omnia sacramenta novæ legis habere hanc virtutem; in quo est multo major ratio de baptismo. Nam cum sit spiritualis hominis regeneratio, atque integra renovatio, non solum aufert quicquid spirituali vitæ contrarium est, sed omnem etiam tollit maculam et rugam, ut statim iterum dicemus.

7. Tertia conclusio. — Dico tertio: baptismus simul remittit cum culpa omnem pœnam proprie dictam; non tamen aufert omnes vitæ

pœnalitates. Ad intelligendam utramque partem hujus conclusionis, advertendum est, quosdam esse in hominibus lapsis defectus, qui secundum se ex principis naturæ oriuntur, essentque in homine in puris naturalibus condito, quantum ad substantiam, seu entitatem, aut imperfectionem eorum; hujusmodi sunt passibilitas corporis, ægritudines, dolores, mors, fomes peccati, et inordinatio potentiarum, etc. His autem defectibus subventum erat per originalem justitiam, quam in primo suo parente totum genus humanum amisit; et ideo hi defectus in homine lapso non censentur mere naturales, sed pœnales, et per peccatum originale contracti; et isti significati sunt a Theologis nomine pœnalitatum, ut distinguantur ab illis pœnis, quæ ita sunt per divinam justitiam impositæ, ut ex principis naturæ non oriuntur, quales sunt pœnæ inferni, aut purgatorii. Ex his ergo satis clara est utraque pars conclusionis, et posterior quidem sufficienter tractata est in Comment. art. 3. Non est enim hoc loco probandum hos defectus habere rationem pœnæ. Id enim in materia de peccato originali agendum est. Hac autem veritate supposita, vel ipsa experientia satis notum est, non auferri has pœnalitates per baptismum. Ejus rei congruentes rationes dicto loco tradidimus. Prior vero pars definita est in Concilio Florentino; hac enim ratione negat esse baptizatis imponenda opera satisfactoria pro peccatis ante baptismum commissis; quod etiam explicuimus quæst. præc., art. 5. Eandem veritatem satis indicat Concil. Trident., sess. 5, can. 5, in illis verbis: *Innocentes, immaculati, puri, innocii, ac Deo dilecti effecti sunt, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur*; loquitur enim de baptizatis. Expressius, sess. 6, c. 14, dicit in sacramento pœnitentiæ non semper totam pœnam temporalem remitti (ut in baptismo fit), quod latius repetit sess. 14, c. 8, ubi in hoc constituit magnam differentiam inter justificationem, quæ per baptismum et per sacramentum pœnitentiæ fit. Atque in hunc modum explicant multi difficile illud locum Pauli ad Hebr. 6: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, etc., et prolapsi sunt, iterum renovari ad pœnitentiam*; scilicet renovatione illa, quæ in baptismo fit, absolutam condonationem omnium obtinendo absque ulla satisfactione. De quo etiam intelligunt verba illa cap. 10 ejusdem epist.: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquuntur pro*

peccatis hostia. De quibus testimoniis in materia de sacrificio, et de pœnitentia latius dicendum est. Solet etiam hæc veritas confirmari illis testimoniis supra tractatis ad Rom. 6, et ad Ephes. 4 et 5, in quibus docet Paulus, per baptismum omnino nos mori vitæ superiori; atque adeo omnino mundari, et renovari. Nam hinc recte colligimus, ita nos per baptismum inchoare novam spiritualem vitam, ac si tunc denuo in gratia crearemur; ideoque omnem culpam, et reatum pœnæ nobis auferri.

8. Tandem Ecclesiastica traditio, et perpetuus Ecclesiæ consensus ita intellexit hæc testimonia, et hunc baptismi effectum, ut colligere licet ex SS. Patribus supra citatis, et ex Cypriano, lib. 3 ad Quir., cap. 65, et serm. de Ablut. ped., ubi de baptismo dicit: *Sic lavans quos parentalis labes infecerat, ut neque actualis nec originalis culpæ vestigia relinquat*. Et Gregorius Nazianz., orat. 50, quæ est de baptismo, multa dicit in hanc sententiam; et inter alia vocat baptismum, præclarissimum et præstantissimum beneficiorum Dei, quod non simpliciter intelligendum, sed quoad hunc effectum. Hoc idem late docet Gregor. Pap., lib. 9, cap. 39, ubi sæpe repetit, animam in baptismo cœlestem munditiam consequi, radicitus a peccatis absolvi, peccata in baptismo funditus dimitti; atque ad hoc confirmandum adducit illud Joan. 13: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, scilicet per baptismum, ut ipse intelligit*. Unde ait: *Totus mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit; sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait: Qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo ei de peccatis sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse qui redemit*. Præterea Clemens Alexandrin., lib. 4 Pædagog., cap. 6, ubi inter alia multa, quæ de effectibus baptismi scribit: *Multis, inquit, modis vocatur hoc opus, lavacrum, quo peccata abstergimus; gratia, quæ remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur*.

9. Ratio conclus. — Congruentia ex Concil. Trident. — Alia congruentia. — Corollarium. — Denique ratio hujus conclusionis primario fundatur in voluntate et institutione Christi, eademque est, quæ præcedentium. Nam, quia hoc sacramentum est regeneratio, et per illud homo commoritur Christo et in eo resurgit, ideo per illud perfectissime applicatur passio Christi, quantum unicuique necesse est ad plenam totius pœnæ remissionem. Præterea addi potest congruentia ex

Concil. Trident. Nam peccata ante baptismum commissa, videntur ex quadam ignorantia et infirmitate profecta, quia tunc nondum homo est illuminatus a Deo, nec specialem baptismi gratiam est consecutus; et ideo decuit facilius remitti, quoad omnem pœnam. Tandem baptismus est janua ad Ecclesiam, et quasi fundamentum illius, quam Christus cupit esse purissimam et sine macula et ruga; et ideo voluit, ut omnes qui ingrediuntur Ecclesiam, per hoc sacramentum perfectissime mundarentur. Atque ex hac veritate sequitur, si quis ex hac vita decedat statim post receptum baptismum, antequam aliquam culpam committat, sine ulla mora ingredi cœlorum regnum, et beatitudinem accipere, si nullum posuit obicem effectui baptismi, quia nihil damnationis in eo manet. Cum enim omni culpa, et reatu pœnæ liber sit, nihil in eo est, quod eum possit ab ingressu beatitudinis retardare. Et hac ratione, dicitur baptismus aperire januam regni, ut statim explicabimus circa art. 7.

10. *Quarta conclusio.* — *Ad tertium errorem supra adductum respondetur.* — Dico quarto: baptismus per se non tollit peccata, quæ subsequuntur post baptismum ipsum receptum. Conclusio est de fide definita in Concil. Trident., sess. 7, can. 10 de Baptismo, et colligitur etiam ex sess. 14, can. 4 et 2, ubi ex hoc fundamento docet, necessarium esse aliud sacramentum præter baptismum, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicetur. Et ideo sancti Patres pœnitentiam vocarunt secundam tabulam post naufragium, ut idem Concilium notavit sess. 6, cap. 14. De qua re fusius est in seq. tom. dicendum, in quo de pœnitentiæ sacramento, ejusque necessitate disputabimus. Inde enim sumendum est hujus veritatis fundamentum, quia si memoria baptismi præteriti sufficeret ad tollenda peccata post baptismum commissa, propter hunc effectum non esset aliud sacramentum necessarium. Deinde, si illud esset sufficiens remedium omnium peccatorum, non solum eadem facilitate, qua peccata antecedentia baptismum, verum etiam quodammodo majori tollerentur, quia facilius est recordari baptismi suscepti, quam de novo illud suscipere; consequens autem est contra Paulum ad Hebr. 6, ut in præcedenti assertionem dicebamus, et contra communem Patrum traditionem, qui hac ratione vocant pœnitentiam, post baptismum necessariam, laboriosum baptismum. Præterea contrarius

error hæreticorum procedit ex aliis falsis et erroneis principiis, scilicet, quod sacramenta non aliter deserviant ad remissionem peccati, quam excitando fidem, et quod peccata sola fide, et ficta ac particulari fiducia tollantur, firmiter credendo, sibi non imputari propter Christum, seu propter baptismum susceptum; quæ sunt falsa et hæretica dogmata, ut partim in superioribus tractando de sacramentis in genere dictum est; partim in prædicto tractatu de pœnitentia demonstrabimus.

11. *Ad fundamentum secundi erroris respondetur.* — Ad fundamentum ergo secundi erroris de concupiscentia, quæ manet in renatis, satis dictum est in Commentario art. 3, illam non esse vere ac proprie peccatum; atque adeo ob eam causam negari non posse, quin per baptismum omnia peccata remittantur. Cum ergo dicunt hæretici, peccata non tolli radicitus per baptismum, si tantum hoc dicerent, quia non tollitur fomes peccatorum, eos tantum admonere oporteret, ut sensum tenerent, et linguam corrigerent; si enim Paulus dicit: *Radix malorum omnium est cupiditas*, etiam nos dicere possumus fomitem et concupiscentiam efrænem esse radicem omnium peccatorum; quatenus ergo baptismus non aufert hanc radicem, dici potest non tollere radicitus peccata, quia non tollit radicem illorum; et hoc ad summum probat hæreticorum fundamentum. Tamen non est hic illorum sensus, neque illorum verborum secundum proprietatem, et rigorem, sed quod de facto non tollitur per baptismum quidquid habet rationem culpæ et peccati, et hic sensus est hæreticus; et ad illum confirmandum nihil omnino valet prædictum fundamentum, ut ostensum est.

12. *Ad fundamentum tertii erroris respondetur.* — Ad fundamentum tertii erroris jam dictum est, esse hæreticum illud dogma, quod sacramenta solum concurrant ad remissionem peccatorum excitando fidem. Testimonia vero Scripturæ ibi citata solum probant baptismum, cum confertur, perfecte mundare hominem et constituere illum in statu salutis, ita ut, si non ponat impedimentum, infallibiliter æternam salutem consequatur ratione baptismi suscepti; si vero impedimentum ponat, non est necesse, ut per baptismum auferatur, neque hoc dicitur in citatis locis; sed satis est, quod per baptismum constituatur in eo statu, in quo sit capax alterius remedii, quod institutum est ad hu-

jusmodi impedimenta seu peccata tollenda. Et hic est sine dubio sensus Augustini in loco ibi citato; cum enim dixisset, per baptismum semel datum fieri, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur, subdit: *Quid enim prodesset, vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* Quæ quidem sententia verissima est. Est autem convenienter exponenda, quod August. facere prætermisit, quia tunc res satis clara videbatur, et contrarius error nondum fuerat exortus. Itaque aliter pœnitentia respicit futurum baptismum, ut peccata deleat ante baptismum commissa; aliter vero jam susceptum, ut tollat ea, quæ postea commissa sunt; nam respectu antecedentium peccatorum respicit baptismum, ut unicum remedium, quo tollenda sunt, et in cujus voto interdum per pœnitentiam tolluntur; respectu vero subsequentium peccatorum, respicit baptismum seu potius supponit illum, ut constituentem subjectum capax illius remedii, quo talia peccata tollenda sunt. Nam per baptismum imprimatur character, quo fit homo capax aliorum sacramentorum, et habet jus ad alia remedia, quæ adversus peccata instituta sunt.

SECTIO II.

Utrum baptismus conferat gratiam et supernaturalia dona hominibus vel alios effectus in eis habeat.

1. Hæc sectio est facillima, suppositis, quæ diximus, solumque ad doctrinæ complementum proponitur; et ideo est brevissime expedienda.

2. *Prima propositio.* — Dico ergo primo: baptismus confert baptizatis gratiam et dona infusa, si suscipiens non ponat obicem. Conclusio sub his terminis est certa de fide. Nam licet olim fuerit dubitatum, an gratia et virtutes infusæ sint qualitates et habitus inhærentes nobis, et ab Innocentio IV, in cap. Majores, de Baptismo, et a Clemente V, cum Concil. Viennens., in Clement. 1, de Sum. Trinit. et fide catholica, hoc non fuerit de fide definitum, sed solum probabilius existimatum, jam tamen de fide certum est, baptismum nobis conferre hunc effectum; præsertim, si nos abstrahamus a nominibus qualitatis, et habitus, et loquamur de justitia inhærente, et de gratia, et donis, seu de fide, spe, et charitate; sic enim de fide est, sacra-

menta novæ legis gratiam conferre non potentibus obicem, semper et omnibus ex opere operato, ut supra late dictum est, et definiunt Concil. Florent. sub Eugenio IV, et Trident., sess. 7, can. 6, 7 et 8 de Sacram. in gen. Sed baptismus est sacramentum novæ legis: ergo. Deinde Concil. Trident., sess. 6, cap. 7, definit, justificationem fieri per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, scilicet charitatis, quæ in cordibus eorum diffunditur, qui justificantur, atque ipsis inhæret, simul cum fide et spe. Nam hæc omnia simul infusa accipit homo, qui justificatur, cum remissione peccatorum. Et ibidem definit, causam instrumentalem hujus justificationis esse baptismum; ergo definit, baptismum conferre gratiam, dona, et justitiam inhærentem nobis. Denique definit, justificationem non tantum esse remissionem peccatorum, sed etiam internam hominis renovationem, et sanctificationem hominis per gratiam; et totum hoc ait conferri per baptismum; ergo utrumque est de fide certum.

3. Hujus autem doctrinæ fundamentum præcipue pendet ex doctrina de justificatione, ubi ex professo probandum est, peccatum auferri per infusionem gratiæ, et donorum. Nunc sufficiat attingere pauca testimonia Scripturæ et Sanctorum, in quibus de baptismo in speciali sermo est. Propter hanc enim causam ait Paulus ad Roman. 6, per baptismum ita nos mori peccato, ut vivamus Deo; et complantatos Christo, non solum fieri similes morti ejus, sed etiam resurrectioni. Quod etiam repetit ad Coloss. 2. Ergo per baptismum non solum moritur peccatum in nobis; sed etiam anima per gratiam vivificatur. Unde ad Ephes. 5: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ, ut sit sancta et immaculata.* Utrumque ergo efficitur per baptismum. Et ideo Christus, Joan. 3, agens de nativitate spirituali baptismi: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est*, ac si diceret, per hanc regenerationem, non accipere hominem corporalem et humanam vitam, sed spiritualement per interna et spiritualia dona. Unde Cyrill. ibi, lib. 2, cap. 43: *Natum, inquit, ex Spiritu, spiritum hominis dicimus, quoniam per ipsum ad Deum reformati, ac proprio ejus caractere insigniti, ad suam (ut ita dicam) qualitatem animi transformamur. Atque hoc pacto, inquit, illud etiam Pauli intelligi potest: Filioli, quos iterum parturio, donec for-*